

Ludovico ARIOSTO

CARMINA (1338 vers)

## AD PHILIROEN

A\_1A v.1 Quid Galliarum navibus aut equis  
 2 paret minatus Carolus, asperi  
 3 furore militis tremendo,  
 4 turribus Ausoniis ruinam ;  
 5 rursus quid hostis prospiciat sibi,  
 6 me nulla tangat cura, sub arbuto  
 7 jacentem aquae ad murmur cadentis  
 8 dum segetes Corydona flavae  
 9 durum fatigant. Philiroe, meum  
 10 si mutuum optas, ut mihi saepius  
 11 dixisti, amorem fac corolla  
 12 purpureo variata flore  
 13 amantis udum circumeat caput,  
 14 quam tu nitenti nexueris manu ;  
 15 mecumque caespite hoc recumbens  
 16 ad citharam canito suave.

## DE VITA QUIETA AD PHILIROEN

A\_1B v.1 Quid Galliarum rex Carolus paret  
 2 minatus, ut qui militis optime  
 3 vim noverit sui, tremendam  
 4 turribus Ausoniis ruinam ;  
 5 rursus quid hostes prospiciant sibi,  
 6 me nulla tangat cura, sub arbuto  
 7 jacentem aquae ad murmur cadentis,  
 8 dum segetes Corydona flavae  
 9 durum fatigant. O miseri, quibus  
 10 vesana mens est, vendere sanguinem  
 11 auro suum ! Qui cum relicto  
 12 corpore postquam anima effluit, nec  
 13 parata tantis arva laboribus  
 14 juvare possunt, nec Pario domus  
 15 Laconico simulque et Afro  
 16 omnigeno lapide enitescens.  
 17 Haec, hoc et auri quicquid aenea  
 18 stipatur arca, prodigioribus  
 19 linquenda posteris propinquis  
 20 omnia sunt, avido aut tyranno  
 21 magis. Tyranno nam mala principi  
 22 inest cupido qua bona liberis  
 23 relicta parvis in profanos  
 24 diripiat male gratus usus,  
 25 oblitus olim quid tulerit pater  
 26 facturus ense in perniciem suam

27           potentio<sup>rem</sup> herum superbum.  
 28       Sint miseri, ut libet esse ; non mihi  
 29   haec sit libido. Passiphile, meum  
 30   si mutu<sup>um</sup> optas, ut mihi saepius  
 31       dixisti, amorem, fac corolla  
 32       purpureo variata flore  
 33   Mero uda amantis tempora vinciat,  
 34   quam tu nitenti nexueris manu,  
 35       mecumque caespite hoc recumbens  
 36       ad citharam cane multicornem.

## AD PANDULPHUM

A\_2   v.1           Dum tu prompte animatus, ut  
       2       se res cunque feret, principe sub tuo,  
       3       Pandulphe, omnia perpeti,  
       4       quaeris qui dominae crinibus aureis  
       5       Fortunae injicias manus ;  
       6       nos grati nemoris, rauca sonantium  
       7       lymp<sup>harum</sup> strepitus prope,  
       8       umbrosas vacui quaerimus ilices  
       9       canna non sine dispari,  
     10       quae flavae Glyceres reddat amoribus  
     11       cantatis teneros modos,  
     12       queis Panum invideat capripedum genus ;  
     13       nos longum Genio diem  
     14       sacramus, penitus quid face postera  
     15       Mater Memnonis afferat  
     16       securi, roseis humida curribus.  
     17       Qui certantia purpurae  
     18       dum vina in tenero gramine ducimus,  
     19       vincti tempora pampino,  
     20       aut ser<sup>to</sup> ex hedera, sanguinea aut rosa,  
     21       quod vel candida nexuit  
     22       Phyllis vel nivea Philiroe manu,  
     23       tum praedivitis haud movent  
     24       me vel regna Asiae, ven ferus Adria  
     25       quicquid puppe vehit gravi,  
     26       quare saepe minas aequoris horream,  
     27       ut me fictilia, in quibus  
     28       ulnis Philiroe candidulis mihi  
     29       lac formosa coegerit,  
     30       delectant potius quam Siculi dapes  
     31       regis, quas teneat nitens  
     32       aurum ; sede licet collocer aurea,  
     33       quem circum pueri integri  
     34       adsint, ut veteris pocula Massici  
     35       propinent ! Docilis tulit  
     36       fontis quae rigui lympha, bibentibus  
     37       inter laeta rosaria  
     38       tristis cura magis tempora Syrio  
     39       unguento madida insilit  
     40       et saevit penitus, si furor, Alpibus  
     41       saevo flaminis impetu  
     42       jam spretis, quatiat Celticus Ausones.  
     43       Hic est qui super impiam  
     44       cervicem gladius pendulus imminet.

## EPITAPHIUM FULCI AREOSTI

A\_3 v.1 Stirps Areosta fuit, Ferraria patria, Fulcus  
 2 nomen, Roma altrix, Apula humus tegit hic.  
 3 Tormento ictus obi, dum Ripae a moenibus arcens  
 4 Fernandum Ursino pro duce praesideo.  
 5 Octavum vixi trieterida. Caetera, quaeso,  
 6 disce aliunde ; nefas me mea facta loqui.

## DE LAUDIBUS SOPHIAE AD HERCULEM FERRARIAE DUCEM II

A\_4 v.1... [Lacune]  
 2 extollit clamor patrem ; pars murmure laudat  
 3 dicta Jovis tacito jam jam labentis ad aegros  
 4 terrigenas : animis adeo caelestibus haeret  
 5 cura, licet totiens recidivae in crimina, gentis !  
 6 Orbe jacet medio, superis tunc hospita, tellus,  
 7 cum longo innocuis habitata est gentibus aevo,  
 8 qua Pelusiacos aditus, perque ora Canopi  
 9 amne petit gemino sinuosa volumina ponti  
 10 Nilus, et in latum cogit succrescere campos,  
 11 aridaque humenti fecundat jugera limo.  
 12 Juppiter hic claro delapsus ab aethere jussit  
 13 numina cuncta epulis positae discumbere mensae,  
 14 laetus ut unigenae celebret natalia divae.  
 15 Conveniunt superi ; tenuit mora nulla vocatos ;  
 16 inde maris terraeque deos simul impiger omnes  
 17 Mercurius monuit Phariis accedere mensis :  
 18 quos pater omnipotens hilari inter pocula fronte  
 19 accipit, et meritum cunctis largitur honorem.  
 20 O fortunati quorum succedere tectis  
 21 dignata est haec sancta cohors ! Nondum impia tristes  
 22 hauserat implacidi Busiridis ara cruores,  
 23 tum neque polluerat fraterna caede Typhaon  
 24 gramina, nec lacrimis fueras quaesitus, Osiri.  
 25 Interea Eoas volitat vaga fama per urbes  
 26 caelicolum visos mortali lumine coetus  
 27 ducere Niliacis pariter convivia terris.  
 28 Tum numerum ex omni properantem parte videres,  
 29 hospitibus ut praesens veneretur numina tanti.  
 30 Par aderat Vulcanus huic, septemflue, proles,  
 31 Nile, tua, haud Phariis probitate ignota colonis ;  
 32 affuit et Libya genitus, qui sidera torquet ;  
 33 deseruit clarae urbis opus ter maximus Hermes ;  
 34 legifer hinc Moses, illinc pia turba frequentat,  
 35 casta quidem, sed rara tamen ; namque incluta virtus  
 36 negligit infausti foedata examina vulgi.  
 37 Hos habuit Jove nata suis penetralibus, urbes  
 38 ex illo monitu superum cultura, ministros.  
 39 Tum primum a silice antiquum genus exiit aegram  
 40 segnitiam, coepitque rudes deponere cultus,  
 41 paulatim ignipedum quis cursus frenet equorum  
 42 quaerere, quae mundi fuerit nascentis origo,  
 43 mentibus obrepens quae turbet cura quietos,  
 44 utque, simul fragiles artus prostrarit Ananke,

45 nulla perenne sibi formidet funera nomen  
 46 [Lacune]  
 47 Dexter eris, rediens, hominum justissime, coeptis.  
 48 (Namque tuam nunc forte tenet cura altera mentem ;  
 49 quod procul Insubrum iudex delectus in oris  
 50 concilias, solitaque animi probitate revincis  
 51 Pace deum populos inimico Marte furentes).  
 52 Seu Sophia ulcisci bello, seu pace tueri  
 53 flagitet, Herculeam vel opem si poscat utrumque,  
 54 justa quis invicto sumet te fortius arma,  
 55 qui tot parta refers propria virtute trophaea ?  
 56 Vel quis pace frui tribuet sapientius alter,  
 57 qui mediam Latii servasse laboribus urbem  
 58 solus inexhausta caneris virtute ? Tuum sic  
 59 fortunata diu jactet Ferraria munus,  
 60 quo rediviva suas reparet Tritonia laudes.

EPITAPHIUM REGIS FERDINANDI

A\_5 v.1 Illa ego laeta olim nunc moerens Itala Virtus  
 2 Fernandi ad tumulum tristis et orba fleo ;  
 3 vere orba, erepto talis mihi pignore nati,  
 4 cui reliquam merito posthabui sobolem ;  
 5 namque reportavit matri spolia, ah ! quibus illos  
 6 degeneres hostis barbarus exuerat.

AD PANDULPHUM AREOSTUM

A\_6 v.1 Ibis ad umbrosas corylos, Pandulphe, Copari,  
 2 murmure somnifero quas levis aura movet.  
 3 Me sine sub denso meditabere tegmine carmen,  
 4 dum strepet Aeolio pectine pulsa chelys.  
 5 Illic silvicolae laudabunt carmina Fauni,  
 6 si forte heroum fortia facta canes ;  
 7 sin fidibus juvenum mandabis furta sonoris,  
 8 non ciet arbitrio fistula rauca lyram.  
 9 Audiet a viridi Dryadum lasciva rubeto,  
 10 et bibet amotis crinibus aure melos ;  
 11 cuntanti venient suspiria quanta labello,  
 12 et latebras cupiet prodere tecta suas !  
 13 O quid si nimio cantu defessa sopori  
 14 te dare gramineo membra videbit humo ?  
 15 Exsiliens taciturna, pedem per gramina tollet,  
 16 optata et propius cernat ut ora petet.  
 17 Inde procax tereti timide suspensa lacerto,  
 18 rara tibi furtim suavita rapta dabit ;  
 19 vel leviter patula decerpet ab arbore ramos,  
 20 lacteola ut moveat flamina grata manu.  
 21 Fortunate puer, qui inter tua jugera cessas,  
 22 et nemora et saltus liber ad urbe colis !  
 23 Me miserum imperium dominae, non moenia, claudit  
 24 quod nequeam comitis visere grata mei.  
 25 Vincior, ah, gracili formosae crine puellae,  
 26 purpurea en vinctum compede servat Amor !  
 27 Luce meae tota dominae vestigia lustro ;  
 28 dein queror ad tacitas, iudice nocte, fores.

29 Expers ipse tamen rides mala nostra ; caveto  
 30 sed Nemesim ; est fastus saepius ultra graves.  
 31 Tempus erit cum te nimium miseratus amantem,  
 32 an justa haec fuerit nostra querela scies.  
 33 Nunc quoniam haud nosti Venerem nec vulnera nati,  
 34 ferre putas omni libera colla iugo ;  
 35 sed mora, quae nostrae rigidum te tradere turbae  
 36 nititur, in longos non feret illa dies.  
 37 Nuper quae aligerum cecinit mihi passer amorum,  
 38 dum Paphies humili culmine jussa monet  
 39 - texere Naiades Veneri nova vincla sub undis - ,  
 40 quem cupiant taceo, si sapis ipse, cave.  
 41 Interea optat sine me cape gaudia ruris  
 42 continue, et felix vive memorque mei.

## AD PETRUM BEMBUM

A\_7 v.1 Me tacitum perferre meae peccata puellae ?  
 2 Me mihi rivalem praenituisse pati ?  
 3 Cur non ut patiarque fodi mea viscera ferro  
 4 dissimulato etiam, Bembe, dolore jubes ?  
 5 Quin cor, quin oculosque meos, quin erue vel quod  
 6 carius est, siquid carius esse potest.  
 7 Deficientem animam quod vis tolerare jubebo,  
 8 dum superet dominae me moriente fides.  
 9 Obsequiis alius faciles sibi quaerat amores,  
 10 cautius et vitet taetrica verba nece,  
 11 qui spectare suae valeat securus amicae  
 12 non intellecta livida colla nota,  
 13 quique externa toro minimi vestigia pendat,  
 14 dum sibi sit potior parve in amore locus :  
 15 me potius fugiat nullis mollita querelis,  
 16 dum simul et reliquos Lydia dura procos.  
 17 Parte carere omni malo, quam admittere quemquam  
 18 in partem ; cupiat Juppiter, ipse negem.  
 19 Tecum ego mancipiis, mensa, lare, vestibus utar ;  
 20 communi sed non utar, amice, toro.  
 21 Cur ea mens mihi sit, quaeris fortasse, tuaque  
 22 victum iri fadli me ratione putas.  
 23 Ah ! pereat qui in amore potest rationibus uti ;  
 24 ah ! pereat qui ni perdit amare potest.  
 25 Quid deceat, quid non, videant quibus integra [nulla] est ;  
 26 sat mihi, sat dominam posse videre meam.

## EPITAPHIUM FRANCISCI AREOSTI

A\_8 v.1 Hic Franciscum Areostum uxor, natusque superstes,  
 2 nataque, confectum composuit senio,  
 3 quanti vis equitem precii per tot mala vitam  
 4 emersum illaesis usque rogum pedibus ;  
 5 qui claram ob probitatem efferri totius urbis  
 6 singultu et lacrimis ad tumulum meruit.

## AD ALBERTUM PIUM

A\_9 v.1 Alberte, proles inclyta Caesarum,  
 2 utraque nam tu gente propagini  
 3 ostendis Augustos fuisse  
 4 nobile principium tuorum,  
 5 hac luce mecum laetitiam cape,  
 6 sed quae sit omni libera compede ;  
 7 ne sit mero frontem severam  
 8 exhilarare pudor Falerno ;  
 9 nimirum amamus si Genio diem  
 10 sacrare. Cum sint digna licentia  
 11 exuberantis gaudii atque  
 12 immodicum petulantis oris  
 13 quae mane nobis nuntius attulit,  
 14 fidelitatis nuntius integrae,  
 15 a Gallico qui nuper orbe  
 16 principibus rediit Latinis.  
 17 Vidisse dixit Lugdunii meum  
 18 Gregorium, illum cui per Apollinem  
 19 uterque nostrum debet ample,  
 20 quamvis ego magis, et magis te.  
 21 Tu literae quod multum Echioniae  
 22 calles, tenentur primi aditus viro  
 23 huic ; ast ego plus debeo, nam est  
 24 siquid inest mihi clari ab illo.  
 25 Parantem aiebat quam citius pote  
 26 transferre se ad nos, cui timui, miser !  
 27 Vale ultimum dixisse, cum olim  
 28 ad gelidas veheretur Alpes.  
 29 - Io ! redibit qui penitus rude  
 30 lignum dolavit me, et ab inutili  
 31 pigraque mole gratiorem  
 32 in speciem hanc, Pie, me redegit !  
 33 Io ! videbo qui tribuit magis  
 34 ipso parente, ut qui dedit optime  
 35 mihi esse, cum tantum alter esse  
 36 in populo dederit frequenti !  
 37 - Virum, boni di, rursus amabilem  
 38 amplectar ! An quid me esse beatius  
 39 potest beatum, o mi beate  
 40 nuntie, qui me hodie besti ?

## EPITAPHIUM NICOLAI AREOSTI

A\_10 v.1 Molliter hic Nicolaum Areostum composuere  
 2 uxor cum caris Daria pignoribus ;  
 3 quam neque honorati solata est fama mariti,  
 4 nec fadet vel opum copia vel sobolis,  
 5 donec, decurso spatio vitae, ossibus ossa  
 6 aeternum at[que] animam miscuerint animae.

## DE QUINCTI VALERII UXORE

A\_11 v.1 Molliter hic Quincti Valeri complectitur umbram  
 2 compos voti uxor Quinctia facta sui ;

3 quam nunquam abrepti probitas laudata mariti  
 4 solata est, nec opum copia, nec sobolis,  
 5 donec, decurso spatio vitae, ossibus ossa  
 6 miscuerit caris atque animas animis.

DE NICOLAO AREOSTO

A\_12 v.1 Has vivens lacrimas, sed qui odio miser  
 2 tristem vitam habeo, dono, pater, tibi,  
 3 vitae sollicitis functe laboribus ;  
 4 has dono, pater optime,  
 5 sinceræ monimentum illius, illius  
 6 quam noras pietatem, imperiis tuis  
 7 sanctis a tenera huc usque puertia,  
 8 cum semper fuerim obsequens.  
 9 Serum munus habe, seu liquidi aetheris  
 10 cultor vana hominum nunc studia improbas,  
 11 praeque, extra nebulas instabilis plagae  
 12 tu te intelligis et vides ;  
 13 seu lucos steriles et nemus Elysi  
 14 incedis vacuum, perque silentia  
 15 jucundos comites quos prior abstulit  
 16 hora agnoscis et osculo  
 17 occurris tacito. Do, pater, ultimum  
 18 munus, quod, Stygios si qua lacus volat  
 19 ad vos fama, reor gratius affore,  
 20 quam si quicquid opum ferant  
 21 vel messes Arabum, vel Cilicum, tuo  
 22 ussissem tumulo. Jam, genitor, vale,  
 23 Aeternumque vale. Has molliter imprimat  
 24 tellus relliquias precor.

EPITAPHIUM NICOLAI AREOSTI

A\_13 v.1 Nicolaus Areostus, insignis comes,  
 2 hanc, pridie quam abiret, urnam emit sibi,  
 3 ubi secuturos brevi haeredes manet.

AD ALBERTUM PIUM

A\_14 v.1 Fama tuae matris crudeli funere raptae  
 2 dudum terrifico nostras, Pie, perculit aures  
 3 murmure ; sed me adeo stravit dolor improbus, inquam,  
 4 me, me, Alberte, tuae motus quoscumque sequentem  
 5 Fortunae, ut subito correptus frigore membra  
 6 torpuerim, ut gelido titubans vox haeserit ore,  
 7 ut stupor insolitus mentem defixerit aegram :  
 8 deprensus veluti sub querno tegmine pastor,  
 9 cujus glandiferos populatur fulmine ramos  
 10 Juppiter, ut rutilo reteguntur lumine silvae,  
 11 et procul horrenti quatitur nemus omne fragore,  
 12 labitur ille impos mentis, rigor occupat artus,  
 13 Stant immoti oculi, ora immota, immobile pondus.  
 14 Quod tum me censes potuisse effingere carmen  
 15 ardentique tuo solatia ferre dolori,

16 vulnere pene pari misere graviterque jacentem ?  
 17 Ast ubi jam sese desertis sedibus infert,  
 18 tristia qui celeri obsedit praecordia cursu,  
 19 sanguis et exclusos vocat ad sua munia sensus ;  
 20 haec tibi, quae forsitan tarda intempestaque sordent,  
 21 - ne refuge - haud duri canimus solatia casus,  
 22 sed potius tacitos renovantia carmina fletus.  
 23 Ipse tuis lacrimis lacrimas miscere, gravique  
 24 usque etiam cupio tecum certare dolore.  
 25 An quicquam dignum lacrimis an flebile quicquam  
 26 impia pectoribus poterunt immittere nostris  
 27 posthac Fata, tuae si non jactura Parentis  
 28 flebilis, et lacrimis non est dignissima nostris ?  
 29 Seu venit in mentem venerandae gratia frontis,  
 30 qua me, quaque alios quoscumque benignus amares,  
 31 excipere illa tui merito studiosa solebat ;  
 32 seu subit illius gravitas condita lepore  
 33 eloquii, qua sueta tui placare tumultus  
 34 est animi, quondam cum ageret fortuna sinistre  
 35 cum rebus male fida tuis, ut limina supplex  
 36 exutus regno tereres aliena paterno  
 37 (et quamvis per te multum tibi consulis ipse,  
 38 nec documenta parum sophiae, quibus impiger omne  
 39 impendis studium, prosint, tamen usque fateris  
 40 juverit auditae quantum te cura parentis) ;  
 41 sive Pudicitiam tumulo spectamus eodem  
 42 exanimem condi, Probitas ubi clara Fidesque,  
 43 Religio, Pietasque tua cum matre teguntur.  
 44 Heu morum exemplar ! Columen, tutela bonorum,  
 45 pica jacet veteris demissa ab origine Pici,  
 46 Laurentis Pici, qui te, Saturne, parentem  
 47 rettulit ; antiqui tu sanguinis ultimus auctor.  
 48 Pica atavis generosa, animo generosior alto,  
 49 pica potens opibus, virtute potentior ipsa !  
 50 Indicium cum saepe sui, tum protulit ingens  
 51 prudentis vis illa animi, decor ille modesti,  
 52 extincto genitore tuo, cum sola relicta est,  
 53 et formosa, et adhuc, vel in ipso flore, puella,  
 54 te puero nondum bimo commune tenente  
 55 regnum cum patruo, et populi Carpensis habenas  
 56 (ah ! male diversis amborum flexibus aptas),  
 57 te puero, pueroque simul cognomine patris  
 58 fratre Leonello, cujus vix sedula nutrix  
 59 invalidum denis numerabat solibus aevum.  
 60 Tunc tibi, tuncque tuis adeo Pica optima rebus  
 61 cavit, ut illi etiam deberi gratia possit  
 62 quod validus sceptris et honore fruaris avito.  
 63 Tuncque adeo bene consuluit probitate pudori,  
 64 tunc et perpetuos quoscumque exegerit annos,  
 65 ut decus id, laudes hae sint, ea gloria parta,  
 66 quae rediviva suas reparant post funera vires.  
 67 Hinc optare proci connubia tanta frequentes,  
 68 aut genere aut opibus freti ; dein poscere fratres,  
 69 primores populi ambire, atque domestica matrum  
 70 consilia et crebros monitus adhibere faventum.  
 71 Mille petunt ; petit ante alios et fervidus instat  
 72 ille Bianorei procerum ditissimus agri,  
 73 Rodulphus Gonzaga, potens majoribus armis



74       inclutus Italia et toto celeberrimus orbe.  
75       Tunc cupiunt fratres taedas crepitare secundas,  
76       et sibi Rodulphum geniali foedere jungi.  
77       Ergo illam precibus tangunt, rationibus urgent,  
78       utilitate movent sobolis, cui maxima tanti  
79       accedat tutela viri, seu mollius aevum  
80       claris formari exemplis, seu regna tueri  
81       consiliove, opibusve, armisve poposcerit usus.  
82       Quid faciat ? Tenerae jam primum commoda prolis  
83       anxia pertentant tenerae praecordia matris ;  
84       sic tua nimirum vestrae ratione salutis  
85       cogitur a viduo genitrix discedere lecto.  
86       Cujus, ubi supra muliebrem provida captum  
87       plenius inspecta a prudenti conjuge mens est,  
88       sic regni ut thalami consors est sumpta virago.  
89       Tum genitrix tua, cui clare est data copia agendi,  
90       justitiae vindex incorruptissima sacrae,  
91       dura malis, clemens miseris, gratissima justis,  
92       propositique tenax, atque imperterrita recti,  
93       perque gradus cunctos virtutis clara refulsit ;  
94       clara refulsit, onus pariter subeunte marito.  
95       Clarior at multo vacui cum tristis in aula  
96       magnanimi immatura viri post fata relicta est :  
97       namque diem multa Gallorum caede cruentus  
98       extremum cum laude obiit mavortius heros  
99       ad vada purpureo spumantia sanguine Tarri,  
100       tempore quo spoliis rex agmina onusta Latinis,  
101       rex Carolus Magni Caroli generosa propago,  
102       ad gelidas Sequanae ripas populator agebat.  
103       Matribus et trepidis lux detestata puellis,  
104       illa nimis lux saeva, nota signanda perenni,  
105       prae cunctis sed, Pica, tibi saevissima luxit.  
106       En vidua, et tutrix iterum maestissima prolis  
107       bis geminae superas ; melioris pignora sexus  
108       namque duo et totidem diversi parva fovebas.  
109       An pupillarem prius eloquar auxeris ut rem ?  
110       An cultu assiduo natorum ut corda paternos  
111       indueris mores ? Certe rumore secundo  
112       utrumque et multo laudari carmine dignum.  
113       Praeteream sed et ista, sed et connubia natae ;  
114       atque his plura sciens, nec possem singula nec fas  
115       dicere, vel rudibus praesertim nota colonis,  
116       limpidus Ocnaeis quacumque aut Mincius arvis  
117       inter arundineas it flexo limite ripas ;  
118       quaque sinus, Benace, tuos imitatus apertos,  
119       fluctibus et fremitu et spumantibus aestuat undi :  
120       aut Venetas quacumque Padus perlabitur oras,  
121       multa mole minax, multoque labore docendus,  
122       pinguibus et cultis et aprico parcere ruri.  
123       An quisquam summa virtutum deneget arce  
124       insedissem tuam, generose Alberte, parentem ?  
125       Aut virtus sermo merus est et inutile nomen,  
126       aut opere et claro penitus dignoscitur actu,  
127       cum medio rerum immersabilis enatat aestu,  
128       heu, heu ! quae sceleri debentur digna nefando,  
129       taliam virtutum si praemia Pica reportat ?  
130       Sed quid inepta tuos renovabit Musa dolores ?  
131       Sed duce me in lacrimas iterum cur ibis inanes ?

132 Sed quid hians medicae tractabo nescius artis  
 133 vulnus, opis quicquam nil post laturus amicae ?  
 134 Sed quid ego ereptae crudelia fata parentis  
 135 in medium proferre loquaci carmine nitar,  
 136 cum neque succurrat ratio solaminis ulla,  
 137 qua tot deinde queam fluctus, quos ipse citarim  
 138 imprudens, animique graves componere motus ?  
 139 At reticenda nec est ea mors, cui maxima virtus  
 140 causa fuit : nec enim vas exitiale cicutae  
 141 vult Aniti latuisse reus, nec Virbius axes  
 142 ancillae, nec Pica feros quibus occidit ausus.  
 143 Liberius jam jam res ut sit facta docebo,  
 144 unde queant magnum venientia ducere secla  
 145 exemplum, humano leviter quam fidere quisquam  
 146 ingenio possit : documento nec fuit illa  
 147 absque aliquo moriens, cujus dum vita manebat  
 148 omne olim fuerat studiis imitabile factum.  
 149 Illa severa adeo cultrix Italique pudoris  
 150 custos, illa adeo vindex labentis honesti  
 151 extitit, ut facto turpi curaret ab omni,  
 152 et levibus licet opprobriis, pulchrasque sodales  
 153 ancillasque domumque omnem servare pudicam,  
 154 nedum se similemque sui, castissima, prolem :  
 155 cui dum se digno ferventius haeret et instat  
 156 proposito, in sese muliebris suscitatur iram  
 157 flagrantem ingenii, quod amor furiavit iniquus  
 158 et male suada Venus. Quid non vesana libido  
 159 mersa cupidinibus mortalia pectora cogit ?

## AD HERCULEM STROZZAM

A\_15 v.1 Audivi, et timeo ne veri nuntia fama  
 2 sit quae multorum pervolat ora frequens.  
 3 Scin verum, quaeso ? Scin tu, Strozza ? Eia age, fare ;  
 4 Major quam populi, Strozza, fides tua sit.  
 5 An noster fluvio misere ... ? (Heu timeo omnia ! at illa,  
 6 di, prohibete, et eant irrita verba mea ;  
 7 et redeat sociis hilari ore, suasque Marullus  
 8 ante obitum ridens audiat inferias).  
 9 Fama tamen vatem, sinuoso vortice raptum,  
 10 dulciloquam fluvio flasse refert animam.  
 11 Scin verum, quaeso ? scin tu, Strozza ? eia age, fare ;  
 12 Major quam populi, Strozza, fides tua sit.  
 13 Ut timeo ! nam vana solet plerumque referre  
 14 fama bonum ; at nisi non vera referre malum.  
 15 Quamque magis referat saevum, crudele, nefandum,  
 16 pro superi ! est illi tam mage habenda fides.  
 17 Quid potuit gravius deferri hoc tempore nobis,  
 18 qui sumus in Phoebi Pieridumque fide,  
 19 quam mors divini (si vera est fama) Marulli ?  
 20 Juppiter ! ut populi murmura vana fluant.  
 21 Scin verum, quaeso ? scin tu, Strozza ? eia age, fare ;  
 22 major quam populi, Strozza, fides tua sit.  
 23 Nam foret haec gravior jactura mihique tibi que,  
 24 et quemcumque sacrae Phocidos antra juvent,  
 25 quam vidisse mala tempestate (improba saeculi  
 26 conditio ! ) clades et Latii interitum,

27 nuper ab occiduis illatum gentibus, olim  
 28 pressa quibus nostro colla fuere iugo.  
 29 Quid nostra an Gallo regi an servire Latino,  
 30 si sit idem hinc atque hinc non leve servitium ?  
 31 Barbaricone esse est pejus sub nomine, quam sub  
 32 moribus ? At ducibus, di, date digna malis,  
 33 quorum quam imperium gliscente tyrannide tellus  
 34 Saturni Gallos pertulit ante truces !  
 35 Et servate diu doctumque piumque Marullum ;  
 36 redditeque actutum sospitem eum sociis ;  
 37 qui poterit dulci eloquio monitisque severis,  
 38 quos musarum haustus plurimo ab amne tulit,  
 39 liberam et immunem (vincto etsi corpore) mentem  
 40 reddere, et omne animo tollere servitium.  
 41 Sit satis abreptum nuper flevisse parentem :  
 42 ah ! grave tot me uno tempore damna pati !  
 43 Tarchaniota aura aetheria vescatur ; et inde  
 44 caetera sint animo damna ferenda bono.  
 45 Scin verum, quaeso ? scin tu, Strozza, eia age, fare ;  
 46 major quam populi, Strozza, fides tua sit.  
 47 At juvat hoc potius sperare, quod opto : Marullum  
 48 jam videor laeta fronte videre meum.  
 49 An quid obest sperare homini dum grata sinit res ?  
 50 Heu lacrimis semper sat mora longa datur.

#### EPITAPHIUM COSMICI

A\_16A v.1 Hospes, siste parumper (hocque munus  
 2 habe, et parva brevis morae repende  
 3 damna), quod patris elegantiarum,  
 4 Romanae patris eruditionis,  
 5 vides Cosmici Apolline et sororum  
 6 urnam Pieridum choro frequentem.  
 7 Sed munus tenue est, sed est pusillum,  
 8 prae quod vate frui, manente vita,  
 9 tam comi et lepido tibi fuisset.  
 10 Rursus nec tenue est nec est pusillum,  
 11 cui non contigerit, manente vita,  
 12 tam comi et lepido frui, videre  
 13 saltem Cosmici Apolline et sororum  
 14 urnam Pieridum choro frequentem.

#### EPITAPHIUM

A\_16B v.1 Paulum siste, viator, et tibi sit  
 2 munus quod patris elegantiarum  
 3 et cultae simul eruditionis  
 4 Laeli Cosmici amabilem videbis  
 5 urnam et Pieridum choro frequentem.  
 6 Est munus tenue, est nimis pusillum,  
 7 prae quo vate frui, manente vita,  
 8 tam comi et lepido tibi fuisset.  
 9 Rursus nec tenue est nec est pusillum,  
 10 cui non contigerit, manente vita,  
 11 tam comi et lepido frui poeta,  
 12 saltem relliquias videre ; nam quae

13 rari notitia et boni et probati  
 14 detur quantulacumque est amanda.

DE MEGILLA

A17 v.1 Illius timidis spes sit amoribus,  
 2 qui formae comitem ferre superbiam,  
 3 centenamque repulsam  
 4 leni pectore quiverit ;  
 5 qui surdos tulerit tot querimoniis  
 6 postes, dum glomerat trux Boreas nives,  
 7 miraturque suam vim  
 8 tantis vincier ignibus ;  
 9 qui rivalem animo viderit integro  
 10 offensum, totiens limen amabile  
 11 noctu praetereuntem,  
 12 quod vel jurgia spreverit,  
 13 iras, nequitias, instabilem fidem,  
 14 et quicquid dominae saevities tulit.  
 15 Illum mater Amorum,  
 16 mater blanda Cupidinum  
 17 tandem audit, precibus victa diutinis,  
 18 et finem trepidis luctibus imperat  
 19 durae corda puellae  
 20 divino insiliens pede,  
 21 non oblita facis quam Cinareius  
 22 excivit juvenis, quam Phrygius prope  
 23 Idaeum Simoenta,  
 24 quam Mars bellipotens pater.  
 25 Illi fert gremio pleno Amathuntia,  
 26 lusus, illecebras, delicias, jocos,  
 27 risus, quicquid et almo est  
 28 regno dulce Cupidinum.  
 29 En me, quem lacrimis, quem miseris modis  
 30 mersum ludibrio longum habuit puer,  
 31 spretor divum hominumque,  
 32 en hac luce beat Venus.  
 33 O signanda dies non modo candida  
 34 nota de veteri more Cydonio,  
 35 sed sacro celebranda  
 36 nobis jugiter annuo !  
 37 Lux, qua plena meis amplaque gaudia  
 38 commuto lacrimis, quaque laboribus  
 39 murus grande reporto !  
 40 O solatia suavia !  
 41 Fallorne ? an placida somnus imagine  
 42 ludit me, ut miseris questibus obviet ?  
 43 An haec vera Megilla  
 44 cujus detineor sinu ?  
 45 Haec, haec vera mea est ; nil modo fallimur,  
 46 mi anceps anime : en sume cupita jam  
 47 mellita oscula, sume  
 48 expectata diu bona.

## DE IULIA

A\_18 v.1 Qualem scientem carminis, et lyra  
 2 Sappho sonantem molliter aurea,  
 3 expertem amorum, atque integellam  
 4 floris adhuc nimium caduci,  
 5 vocavit altis e penetralibus  
 6 pubentis agri conspicuus nitor,  
 7 herbaeque, flosculique hiantes  
 8 flatibus egelidis Favoni ;  
 9 mox dithyrambos Aeoliae impulit  
 10 testudini committere spiritus  
 11 strepens per altas ilices et  
 12 murmur aquae prope defluentis ;  
 13 qualemve doctam Calliopen modos  
 14 (cui rex deorum sistere tinnula  
 15 permisit amnes voce, flavae  
 16 Juppiter ob meritum parentis)  
 17 audivit olim libera caelitum  
 18 jam jam fugatis mensa gigantibus  
 19 manum Tonantis et deorum  
 20 praesidium ad citharam canentem,  
 21 audivi eburno pollice Juliam  
 22 cordas moventem Thraeiidae fidis,  
 23 et arte jucundos magistra  
 24 ad numerum strepitus citantem ;  
 25 et ora vernis aemula floribus  
 26 solventem acutis vocibus in modum,  
 27 nervosque vocales decenter  
 28 carminibus sociantem Etruscis ;  
 29 cantusque presso gutture mobiles  
 30 ducentem ad auras (per tremulas prius  
 31 flexosque concisosque fauces),  
 32 murmure nunc tacito volutos,  
 33 nunc plena in aurem voce refractulos,  
 34 quibus nigranti cedit ab arbore  
 35 in roscidis quicquid viretis  
 36 vere canit volucrum tepente.  
 37 Ut ut canoros quaero iterum modos !  
 38 Ut ut mihi me surripuit melos !  
 39 Nec mecum adhuc sum ; adhuc hiulco  
 40 nescit abire animus labello.  
 41 Nec si sciat, vult mitti ; adeo et bona et  
 42 grata tenetur compede. Jam mihi est  
 43 adempta libertas, nec haustu  
 44 Elysiae reparanda Lethes.  
 45 Si tale Siren, stirps Acheloia,  
 46 nautis canebat praetereuntibus,  
 47 nil miror aversas carinas  
 48 sponte cavas adiisse rupes.  
 49 Nescis tu, Ulysseu, qui fugis illitis  
 50 caera Pelasgi remigis auribus,  
 51 inter puellarum choros tam  
 52 dulce canentium obire felix.

## DE VELLERE AUREO

A\_19 v.1 O pubis juvenes robora Thessalae,  
 2 perculsi toties qui pelagi minis,  
 3 pellem avertere Colchis  
 4 auratam cupitis tamen  
 5 (olim pollicita est Pallas et innuba  
 6 vobis velivolam cum daret aequori  
 7 pinum, quam sub opaci  
 8 flexit vertice Pelii),  
 9 cur non lecta manus fortiter occupat  
 10 portus Phasiacos, dum Boreae silet,  
 11 vestris saepe sinistri  
 12 votis, spiritus impotens ?  
 13 En vobis spoliium tempus apiscier  
 14 famosae pecudis limine, quod diu  
 15 servavere dracones,  
 16 Martisque ignivomi boves.  
 17 Insomnes etenim destituit vigil  
 18 serpens excubias, ut fera beluis  
 19 olim infensa marinis,  
 20 post terrestribus aspera  
 21 et nunc vipereas in latebras ruens,  
 22 illum sanguineis unguibus undique  
 23 pressum turbat, et ore  
 24 semper caedibus oblito.

## DE CAPELLA PUELLAE

A\_20 v.1 Quis solaciolum meum ? Meos quis  
 2 Lusus ? Quis mea gaudia, heu ! catellam,  
 3 herae mnemosynon meae catellam,  
 4 quis, ah, quis misero mihi involavit ?  
 5 Quis, ah, quis malus, improbus, scelestus  
 6 tam bellam mihi tamque blandientem,  
 7 tamque molliculam abstulit catellam ?  
 8 Furum pessime es omnium malorum  
 9 quisquis candidulam mihi catellam,  
 10 herae mnemosynon meae catellam,  
 11 meas delicias, meique amoris  
 12 et desiderii mei levamen,  
 13 nostras praeteriens fores, dolose  
 14 manu sub tunicam rapis sinistra !  
 15 At di dent mala multa, di deaeque  
 16 dent omnes tibi, quisquis es, sceleste,  
 17 actutum mihi ni meam catellam,  
 18 herae mnemosynon meae, remittis.

## IN LENAM

A\_21 v.1 Abi, vorax anus, tuis cum blandulis  
 2 istis susurris ; cognita est mihi satis  
 3 superque vestra (serius licet) fides.  
 4 Non sum ille ego in quem impune vobis ludere  
 5 fas jugiter sit feminis rapacibus.  
 6 Ut ut piget me tam diu fallaciis  
 7 vestris retentum, dum miser dari reor  
 8 dulces mihi fructus amoris unice,

9 quos comperi post, cum pudore maxumo,  
 10 illi datos, et illi et illi, et omnibus  
 11 ementibus pernicioso munere  
 12 adulterarum coitus foedissimos !  
 13 Videsne ut audax me rogat, tanquam inscium  
 14 ejus probrosi criminis ? Recede, abi,  
 15 abi, impudica, abi, scelesta et impia,  
 16 impura, lena, venditrix libidinum,  
 17 meorum amorum prostitutrix lurrida.  
 18 Ut ira suadet unguibus nocentia  
 19 proscindere ora ! Ut gliscit impetus ferox  
 20 inferre canis crinibus truces manus !  
 21 Impunis anne abibit haec venefica ?  
 22 Jam jam cupidini morem geram meo,  
 23 et torva lumina eruam isti primulum,  
 24 linguam deinde demetam dicaculam,  
 25 quae me misellum effecit, et pessumdedit,  
 26 et perdidit, nullumque prorsus reddidit.  
 27 Quid me, sodales, detinetis pessumi ?  
 28 Dimittite ; est certum obsequi justissimo  
 29 meo furori ; debitas poenas luat  
 30 mihi scelesta. An huic, rogo, favebitis,  
 31 fortasse nescii quam inexpiabile  
 32 Scelus patretis hanc juvantes impiam,  
 33 quam saepe nocte repperi obscurissima  
 34 sacros cadaverum eruentem pulveres,  
 35 diroque carmine evocantem pallidas  
 36 Umbras ab orci tristibus silentiis ?  
 37 Haec noxio infantes tenellos fascino  
 38 interficit. Discedite, ut poenas luat.  
 39 At si meae vos nil preces justae movent,  
 40 in pessimam crucem recedat pessima ;  
 41 non usque habebit vos paratos subsidia.

A\_22 v.1 Infelix anime et miser, quid ultro  
 2 ipsum te crucias ? Tuos quid ultro,  
 3 ah vere miser, excitas fovesque  
 4 ignes ? Nec minimae tibi quietis  
 5 tantillum esse sinis, vigil diesque  
 6 noctesque ad nitidos hians ocellos,  
 7 os ad purpureum genasque molles,  
 8 ad guttur niveum manusque leves,  
 9 formam denique ad integram puellae,  
 10 formam non tamen integrae puellae,  
 11 ausae delicias meosque lusus...  
 12 Dicamne an sileam ? Ah quid ah silebo ?  
 13 AUSA est perfida et improba et scelesta,  
 14 AUSA est delicias meosque lusus  
 15 auro vendere, nec deos potentes  
 16 pavit fallere saepe dejeratos.  
 17 Infelix anime, ecquid impudica ?  
 18 Ecquid te meretrix avara perdet ?  
 19 Respira, atque tibi potens vicensque  
 20 te redde, utque lubet sine impudicam  
 21 moechis vivere cum suis. Tibine  
 22 os spurca placet oblitum saliva

23 et livens memori nota perenne  
 24 foedae, pro dolor ! osculationis ?  
 25 An te illi ebrioli movent ocelli,  
 26 illi, quos movet hic et hic et ille et  
 27 quisquis dedecorum putetur emptor ?  
 28 Obdura, mi anime ; improba et puella  
 29 cum moechis valeat suis, puella  
 30 igne indigna tuo. Potestne, quaeso,  
 31 quod felicius ardeas deesse ?

## DE LYDIA

A\_23 v.1 Haec certe Lepidi sunt Regia moenia, quae sic  
 2 grata mihi paucos ante fuere dies,  
 3 Lydia dum patrios coleret formosa penates,  
 4 redderet et forma cuncta serena sua.  
 5 Nunc, ut ab illis immutata ! Quid illius, eheu !  
 6 Illius amota luce decoris habent ?  
 7 Illius a cara quae me genitrice domoque  
 8 tot valuit messes detinuisse procul ?  
 9 Tu sine me tacitis excedere, Lydia portis,  
 10 tu sine, me potis es rura videre tua ?  
 11 Cur comitem me, dura, negas admittere ? Curve  
 12 sarcina sum rhedae visa onerosa tuae ?  
 13 In tua non adeo peccarem commoda demens,  
 14 artius ut premerem terga, latusve tuum !  
 15 Conductus non deerat equus, non deerat amicus  
 16 juvisset mannis qui mea vota suis.  
 17 Ipse pedum validis potui decurrere plantis,  
 18 sive terenda brevis seu via longa fuit.  
 19 Ah ! ego (vita, modo sineres) quam fortiter irem,  
 20 sisteret ut nullus crura citata labor !  
 21 Corruptum nec iter hieme et pluvialibus austris  
 22 suasisset justas, te properante, moras.  
 23 Sum sine te biduum : an me ultra patieris abesse ?  
 24 Heu miserum ! me me, quaeso, venire jube.  
 25 Ecquid habent gelidi montes et inhospita tesqua ?  
 26 Ecquid habent sine me devia rura boni ?  
 27 Quaeso, venire jube : placeant tum lustra ferarum,  
 28 atque feris arces montibus impositae ;  
 29 tum placeant silvae, tunc sint gratissima saxa,  
 30 dum latus ipse tegam, duxque comesque, tuum.  
 31 Tunc juvet audaci lepores agitare Lacone,  
 32 caecaque nocturnis ponere vincla lupis ;  
 33 inque plagas turdum strepitu detrudere edacem,  
 34 et quaecumque hiemes gaudia rure ferunt.  
 35 Quaeso, venire jube. Quod si mala murmura vulgi  
 36 ne cieam veniens est timor, ipsa redi.

A\_24 v.1 Istos, quaeso, oculos operi, dum caetera lustrem  
 2 spectator formae, Lydia bella, tuae ;  
 3 namque meos hebetant sensus prohibentque tueri  
 4 quam sit digna oculis pars tua quaeque tuis.



## BACCHI STATUA

A\_25 v.1 Quid causa, aeterna fruieris quod, Bacche, iuventa  
 2 vel sene qui multo grandior es Pyllo ?  
 3 - Est quod vino, hospes, Genioque indulgeo ; quod non  
 4 ambitio mentem distrahit ulla meam. -  
 5 Cur te nulla operit vestis, cum casta puella  
 6 saepe puerque tuos cursitet ante pedes ?  
 7 - Ut doceam sic et nudari cuncta mea vi,  
 8 conscia qui multo torqueo corda mero. -  
 9 Aspera quid sibi vult frons cornibus ? - Indicat ut sim  
 10 Martia siccato promptus ad arma scypho. -  
 11 Cur Nysa, Thebis, Dia, Cytherone relictis,  
 12 Boiardae cordi sunt tibi prela domus ?  
 13 - Quod praestant cunctis hic vina, quod impius illic  
 14 proh ! mos nunc gelida Massica mutat aqua. -  
 15 Cur neque adest satyrus, neque lynx trahit esseda pictus  
 16 concitus hic thyrso, concitus ille mero ?  
 17 - Ne feritas hujus, ne hujus petulantia quemque  
 18 terreat a nostro limine cavit herus.  
 19 Sed jam jam ingredi, ut, quem vanum forte putasti,  
 20 ostendant verum pocula plena deum. -

## AD BACCHUM

A\_26 v.1 Quod semper vino madidus, somnique benignus,  
 2 securus pendis nil, nisi quod placeat,  
 3 laetitia fruieris nimirum, Bacche, perenni,  
 4 exarat et frontem nulla senecta tuam.  
 5 Sic quicumque pedem tua per vestigia ponet,  
 6 exiget in multa saecula longa rosa.

## DE BACCO

A\_27 v.1 Qui non castus adis Bacchi penetralia, non te  
 2 flumine, sed multo prolue rite mero.

A\_28 v.1 Una vivamus, sed sic vivamus, amici,  
 2 una ut diu possimus una vivere ;  
 3 et dum nos fata esse sinunt, ut nos decet esse  
 4 simus, scientes quod diu esse non sinunt.

## DE EULALIA

A\_29 v.1 Ut bella, ut blanda, ut lepida utque venustula ludit  
 2 Eulalia, Hispanae filia Pasiphiles !  
 3 Ut bene maternos imitatur parvula mores,  
 4 incedit, spectat, ridet, agit, loquitur !  
 5 Omnia ut illa facit tandem ! Jam fingere novit,  
 6 et sibi de tenero quos amet ungue legit.  
 7 Bona sectatrix matris nata ! O bona mater,  
 8 tam bene dilectam quae instituis sobolem !  
 9 Ut tibi quandocumque obrepat inertior aetas,  
 10 cum meretrix nequeas vivere, lena queas.

## DE IULIA

A\_30 v.1 O rarum formae decus, o lepidissima verba,  
 2 o bene deductum pollice et ore melos !  
 3 An Charitum quarta, an Venus altera, an addita Musis  
 4 est decima, an simul haec Gratia, Musa, Venus ?  
 5 Julia quin sola est, qua cantu Musa, lepore  
 6 gratia, qua longe est victa decore Venus.

## DE VERONICA

A\_31 v.1 Es Veronicane ? An potius vere unica ? Quae me  
 2 uris, quae mihi me tam cito surpueris ?  
 3 Unica nimirum, cui soli est forma, decorque,  
 4 Gratiaque, et quantum est et salis et veneris.  
 5 Quaeque simul casta es, simul et pulcherrima sola ;  
 6 o sola, o vero nomine digna tuo !

## DE GLYCERE ET LYCORI

A\_32 v.1 An Glyceren pluris faciam, plurisne Lycorin,  
 2 si Cherinte, scio dicere, dispeream.  
 3 Moribus haec atque haec placet, et placet utraque cultu ;  
 4 parque illis lepor est, gratia, parque venus.  
 5 Hanc amo, depereo illam ; quin amo, depereoque  
 6 utramque, et rursus utraque vita mihi.  
 7 Quaeres fortassis qui possim : nescio ; tantum  
 8 novi ego, quod geminas ardeo, amo, pereeo.

## AD PUELLAM VENDENTEM ROSAS

A\_33 v.1 Hasne rosas, an te vendes, an utrumque, puella,  
 2 quae rosa es, atque inquis vendere velle rosas ?

## IDEM

A\_34 v.1 Vendere velle rosas, inquis, cum sis rosa : quaero  
 2 tene, rosasne velis, virgo, an utrumque dare.

## DE LUPO ET OVE

A\_35 v.1 Fetum invita lupae, sed jussu nutrit herili,  
 2 et sua lacte suo pignora fraudat ovis ;  
 3 Scilicet ut meritam bene de se perdat adultus :  
 4 mutare ingenium gratia nulla potest.

## DE BARDO POETA

A\_36 v.1 Cuncta memor recitat quae pangit milia Bardus  
 2 carmina ; nulla tamen scribere Bardus ait.  
 3 Si verum est, bene, Paule, facit, qui perdere chartham

4 nolit, cum mentem perdere sat fuerit.

DE CALLIMACHO

A\_37 v.1 - Heus puer, - imprudens dixi cum pone viderem  
2 Callimachum : - o, - dixi, vertit ut ora, - pater.

DE EODEM

A\_38 v.1 Sunt pueri crines, senis ora, tuique videtur  
2 tam belli occipitis sinciput esse pater.

AD AULUM

A\_39 v.1 Ne distorque oculos, ne nuta, ne fode surdum,  
2 ne mihi velle latus, ne pede tunde pedem.  
3 Sensi ; te Lalio eripiam vis, Aule, loquaci :  
4 dic, age, si id facio, quis tibi me eripiet ?

AD PUERUM

A\_40 v.1 Quod fractus nisu in medio te deserit arcus,  
2 non tua sed Clarii, Lygdame, culpa dei ;  
3 qui prius ut cithara clarum te vidit et ore,  
4 indoluit cithara victus et ore deus ;  
5 atque arcum metuens, arcu ne victus abiret,  
6 fregit, et imprudens tam mage victus abit.

DE PUERO MORTUO

A\_41 v.1 Exanimum Paphie puerum miserata feretro  
2 - eheu talis, ait, noster Adonis erat ! -

IN VENEREM ARMATAM LACEDAEMONE

A\_42 v.1 Arma, Venus, Martis sunt haec ; quid inutile pondus,  
2 mortali bellum si meditare, subis ?  
3 Nil opus est ferro, ferri cum nuda potentem  
4 exueris spoliis omnibus ipsa deum.  
5 Arma deo sua sunt ; hospes, ne fallere ; Sparta est  
6 haec, ubi de patrio sunt data more mihi.  
7 Meque decent saevo in fluctu quae sanguine nata,  
8 quae sum Martis amor, quae Lacedaemonia.

DE TRIVULTIA

A\_43 v.1 Quod genere et censu praestes, Trivultia, multis,  
2 est decus ; at decus id pluribus esse vides.  
3 Quod prior innumeris tua sit nullique secunda  
4 forma, tamen non est unica, rara licet.  
5 Quod sis casta, etsi non est te castior ulla,

6       tecum alia atque alia est casta puella tamen.  
 7       Quod docta atque sciens Musarum es sola, sed olim  
 8       Deiphobe et fidicen Lesbia talis erat.  
 9       Quod generosa eadem, dives, formosa, pudica  
 10       doctaque sis, nulla est par tibi, nulla fuit.

## DE EADEM

A\_44    v.1     Sis dives, generosa, bella, casta,  
           2     docta, et si ulterius potes quid esse ;  
           3     si, Trivultia, non simul benigna es,  
           4     nulli bella places, pudica nulli,  
           5     nulli docta videris, et beatae  
           6     nullos divitiae movent genusve,  
           7     et si his ulterius potes quid esse.

## EPITAPHIUM PHILIPPAE

A\_45    v.1     Marmoris ingenti sub pondere clausa Philippa est :  
           2     cavit vir tandem ne ulterius fugeret.

## EPITAPHIUM EIUSDEM

A\_46    v.1     Quaeris quae fuerim ? Me scito fuisse Philippam :  
           2     plura rogas ? Nolo plura loqui, nisi quod  
           3     nil alienum a me mulier muliebre putavi :  
           4     hoc, heus ! In partem accipe, quaeso, bonam.  
           5     Quid tibi vis ? An me interius vis nosse ? Quid ipsum  
           6     ten nosis ? Prior haec sit tibi cura, et abi.

## EPITAPHIUM LABULLAE

A\_47    v.1     Huc oculos, huc verte, bonae quicumque Parentis  
           2     templa subis, sibi et haec quid velit urna vide.  
           3     Flaminis hic uxor Turini funere acerbo  
           4     dulcis ab amplexu rapta Labulla viri est ;  
           5     quae forma et censu innumeras et honore parentum,  
           6     at virtute omnes vicerat una nurus.  
           7     I nunc, et votis caelum, miser, omne fatiga,  
           8     quando bona haec quanti sint fadenda vides.

## EIUSDEM

A\_48    v.1     Haec vivens, nec certa satis natisque viroque  
           2     si sua curae esset [parva] futura cinis,  
           3     illa, virum quamvis et natos semper amarit  
           4     uxor quam magis et mater amare potest,  
           5     esset opes quamvis natis ligatura viroque,  
           6     blanda licet natis, blanda viro fuerit ;  
           7     haec, inquam, conjux Turini saxa paravit,  
           8     functa quibus voluit luce Labulla tegi.

## EPITAPHIUM MANFREDII

A\_49 v.1 Quis tegitur tumulo ? - Manfredius ille, viator,  
 2 Roenaldus qui sub pace dolo occubuit. -  
 3 Sed quae tanta necis tam saevae causa ? - Sororem  
 4 interfectoris perditae amasse sui. -  
 5 Proh scelus ! ista tulit quod amarit praemia ! Quid si  
 6 odisset ? Meriti est dura homini ratio.

## EPITAPHIUM

A\_50 v.1 Claudit Alexandrum fossa brevis urna : puella,  
 2 cui dare dum nimium vult, nimium eripuit.  
 3 Nunc eat, et durum demens incuset Amorem :  
 4 hunc, quia se facilem praebuit, enecuit.

## EPITAPHIUM BADINI

A\_51 v.1 Qui juvenis Martem, senior qui Martis amicam  
 2 tentando, aerumnas hinc tulit, inde decus,  
 3 Badinus jacet hic : felix ter ut ante juvenita  
 4 si sic et caelebs acta senecta foret !  
 5 Caetera vir prudens, solers fidusque gerendis  
 6 rebus Atestino carus ob idque duci.

## AD TIMOTHEUM BENDIDEUM

A\_52 v.1 - Ignaro servum domino promittere quicquam  
 2 posse ratum, mores scriptaque jura vetant. -  
 3 Hoc mihi, Timothee, in patriam discedere tecum  
 4 pollicito, intorto verbere dixit Amor.  
 5 Quid faciam ? Jubet ille ; rogas tu ; terret herilis  
 6 saevida ; ipse fidem poscis ; utrumque trahit.  
 7 Durus Amor, flectique nequit ; tu mitis et idem  
 8 exorandus : ad haec tu vir, et ille deus.  
 9 Jam quid agam teneo : veniam sperare benigne  
 10 malo, quam promptae tradere colla neci.

## EPITHALAMIUM

A\_53 v.1 Surgite, jam signum venientis tibia nuptae  
 2 concinuit procul : ecce venit formosa jugato  
 3 qualis olore Venus, cum Memphim, aut alta Cythera,  
 4 aut nemus Idalium, aut Amathuntis templa revisit.  
 5 Cernitis ut circumque oculos, circumque decorum  
 6 osque genasque, humerosque et circum virginis omnem  
 7 laudatam speciem volitet Charis, utque serenos  
 8 vibratis levibus pennis illi afflet honores ?  
 9 Cernitis ut circum tenerorum lusus Amorum  
 10 obstrepat, ut calathos certent invergere florum  
 11 in comptum dominae caput, utque hic lilia fronti  
 12 componens niveae, hic immortales amaranthos  
 13 purpureasque rosas malis, mirentur eandem  
 14 formam diversos florum superare colores ?  
 15 Cernitis ut juvenes obducta fronte Latini,

16       queis est dicta dies reditus, pilenta sequantur ?  
17       Cur non audimus tacita quid voce voluent,  
18       reddere et argutis meditamur commoda dictis,  
19       sic ad regales thalamos Hymenaea citantes ?  
20       - Blande Hymen, jucunde Hymen, ades, o Hymenaeae. -  
21       Aspicite Herculeos juvenes procedere contra,  
22       o socii, jam jam numeris certare paratos.  
23       Sic certe haud temere veniunt ; victoria nobis  
24       difficilis, laetas nam poscunt carmina mentes,  
25       nos tristes : quid enim nisi triste efferre paramus,  
26       culmine dejecti tanto, pulcherrima, cum te  
27       externi invideant thalami, Lucretia, nobis ?  
28       Dure Hymen, Hymenaeae, piis invise Latinis !  
29       Aspicite Ausonios meditata requirere vates,  
30       victricis qui saepe caput pressere corona.  
31       Quare non facilis stat nobis palma, sodales,  
32       qui prima alterno cantu certamina inimus ;  
33       Gloria sed major quae multo parta labore  
34       provenit. Hoc agite, huc animum convertite, ne qua  
35       sit mora cum docto deceat succedere cantu.  
36       Blande Hymen, jucunde Hymen, ades, o Hymenaeae.  
37       Omnia vertuntur : quae quondam maxima Roma  
38       Ausonias inter tantum caput extulit urbes  
39       quantum abies inter graciles annosa genistas,  
40       aut quantum tenues inter vetus Albula rivos  
41       seu claris hominum studiis, seu moenibus altis,  
42       nunc deserta vacat, veteri depressa ruina ;  
43       atque ubi templa deum et Capitolia celsa fuere,  
44       flexipedes surgunt hederae fruticesque maligni,  
45       et turpes praebent latebras serpentibus atris.  
46       Est levis haec jactura tamen : ruat hoc quoque, quicquid  
47       est reliquum, juvet et nudis habitare sub antris,  
48       vivere dum liceat tecum, pulcherrima Virgo  
49       dure Hymen, Hymenaeae, piis invise Latinis !  
50       Omnia vertuntur : modicis quae moenibus olim  
51       hinc viridi ripa, hinc limosa obducta palude  
52       angustas capiebat opes Ferraria pauper,  
53       angustasque domos, angustaque templa deorum,  
54       apta tamen tenui populo tenuique senatu ;  
55       finitimas inter tantum nunc eminent urbes,  
56       quantum inter Bacchi colles pater Apenninus,  
57       Eridanusve inter fluvios, quos accipit infra,  
58       quosque supra e tota Hesperia Neptunus uterque.  
59       Nunc, ubi piscoso pellebant gurgite lintrem,  
60       aut ubi in aprico siccabant retia campo,  
61       regia templa, domus, fora, compita, Curia, turres  
62       Herculeique decent muri, portaeque, viaeque,  
63       vixque suo populo ampla, potenti et molibus aequis  
64       et paribus studiis generi contendere Martis.  
65       At nullos tantum jactat Ferraria cultus,  
66       quam quod te dominam accipiat, pulcherrima Virgo.  
67       Blande Hymen, jucunde Hymen, ades, o Hymenaeae.  
68       Qualis in Ionio magno, bacchantibus austris,  
69       nauta, ubi vel Syria vel Thynna merce gravatam  
70       illiditque ratem scopulisque relinquit acutis  
71       naufragus, et multum per caerula volvitur expes,  
72       nudus et ignota tandem jactatur arena ;  
73       dum vacuum querulis contristat fletibus oram,

74       haud procul informi in limo radiare coruscam  
75       intuitur, quam vertit atrox ad littora, gemmam,  
76       tempestas, seque illa opibus solatur ademptis ;  
77       ecce autem mirantem ignes rutilumque decorem  
78       incautumque potens manus occupat obvia, et illum  
79       dimittit maria implentem et nemus omne querelis :  
80       talis Roma, diu casus ubi flevit iniquos  
81       optavitque dolens veterum decora alta Quiritum,  
82       dum Vaticano flexisset lumina colli,  
83       te vidit clari soboles, Lucretia, Borgae,  
84       pulchro ore et pulchris aequantem moribus, aut quas  
85       verax fama refert, aut quas sibi fabula finxit ;  
86       atque novo veteres solata est munere curas  
87       o septem colles, Tiberis pater, altaque prisci  
88       imperii monumenta, graves intendite luctus !  
89       Nuper Atestini fratres, proceresque propinqui,  
90       Herculeus juvenis patria quos misit ab urbe,  
91       quod pulchri fuerat vobis impune tulere,  
92       externoque decus vestrum junxere marito.  
93       Dure Hymen, Hymenaeae, piis invise Latinis !  
94       Ut qui perpetuis viret hortus consitus umbris,  
95       mobilibusque nitet per quadrua compita rivis,  
96       laudetur licet Idaeae sub sidere Caprae,  
97       seu cum Libra oritur, seu cum sata Sirius urit,  
98       est tamen egeidos Tauro referente tepores  
99       gratior (erumpunt tum lento e vimine frondes,  
100       tum pingunt variis decorantque coloribus herbas  
101       Liliaque, violaeque, rosaeque, brevesque hyacinthi) ;  
102       sic quae regali fulsit Ferraria cultu,  
103       aedibus aut sacris, aut auctae molibus urbis,  
104       aut mage privatis opibus luxuque decenti,  
105       vel studiis primum ingenuis juvenumque senumque,  
106       nunc pulchra est, nunc grata magis, cum, Borgia, tauro  
107       vecta tuo referes auratis cornibus annum.  
108       Vere novo insuetos summittit terra colores,  
109       Herculeique nitent nativis floribus horti ;  
110       arte tibi qua quisque valet blanditur honesta,  
111       et nos, qui teneris musas veneramur ab annis,  
112       alternis laetos numeris canimus Hymenaeos.  
113       Blande Hymen, jucunde Hymen, ades, o Hymenaeae.  
114       Dure Hymen, Hymenaeae, piis invise Latinis,  
115       qui potes elacrimis miserorum auferre parentum  
116       ardentique viro trepidam donare puellam,  
117       et procul a patria longinquas ducere ad oras !  
118       Dure Hymen, Hymenaeae, piis invise Latinis !  
119       Blande Hymen, jucunde Hymen, ades, o Hymenaeae,  
120       qui cupido juveni cupidam sociare puellam  
121       tendis, qui tacitos questus miseraris amantum,  
122       qui nympham haud pateris viduo tabescere lecto,  
123       longinquasque urbes geniali foedere jungis.  
124       Blande Hymen, jucunde Hymen, ades, o Hymenaeae.  
125       O quondam gratae pulchro candore puellae,  
126       quae Phaethontei colitis vada conscia casus,  
127       quid Latiae nuptae jucundo occurritis ore ?  
128       Nec sensistis titi potioris luminis ortu  
129       vester hebet, languetque decor spectabilis olim,  
130       Arctos ut Eoo veniente Hyperionis axe ?  
131       Dure Hymen, Hymenaeae, piis invise Latinis !

132 O longum incultae tenuique in honore puellae,  
 133 pinguia quae colitis testantia culta labores  
 134 Herculeos, ubi multiplicem Dux inclytus hydram  
 135 contudit ignavis foedantem flexibus agros,  
 136 Virginis adventu Romanae exporgite frontem.  
 137 Nam pulchra ut rerum facies celatur opaca  
 138 in nocte et picea sordens caligine nullos  
 139 oblectat torpetque alienae obnoxia culpae,  
 140 quae mox cum thalamo Tithonia surgit ab Indo,  
 141 apparet meritasque audit clarissima laudes ;  
 142 apparet meritasque audit clarissima laudes ;  
 143 sic vos ingrata resides latuistis in umbra  
 144 heroe Herculeo post vincula prima tot annos  
 145 caelibe, at Aurora nunc exoriente Latina,  
 146 gratae estis, capiturque decor non visilis ante.  
 147 Blande Hymen, jucunde Hymen, ades, o Hymenaeae.  
 148 At vos, Romulei vates, ne tendite contra ;  
 149 jam numeris satis est lusum : jam tecta subimus  
 150 Regia, nec pigeat concordi dicere cantu :  
 151 blande Hymen, jucunde Hymen, ades, o Hymenaeae.

## DE DIVERSIS AMORIBUS

A\_54 v.1 Est mea nunc Glycere, mea nunc est cura Lycoris,  
 2 Lyda modo meus est, est modo Phyllis amor.  
 3 Primas Glaura faces renovat, movet Hybla recentes,  
 4 mox cessura igni Glaura vel Hybla novo.  
 5 Nec mihi, diverso nec eodem tempore, saepe  
 6 centum vesano sunt in amore satis.  
 7 Ut sum si placeo, me, me sic utere, virgo,  
 8 seu grata es, seu jam grata futura mihi.  
 9 Hoc olim ingenio vitales hausimus auras,  
 10 multa cito ut placeant, displicitura brevi.  
 11 Non in amore modo mens haec, sed in omnibus impar ;  
 12 ipsa sibi longa non retinenda mora.  
 13 Saepe eadem Aurorae rosea surgente quadriga  
 14 non est, quae fuerat sole cadente mihi.  
 15 O quot tentatas illa est versata per artes  
 16 festivum impatiens rettulit unde pedem !  
 17 Cum primum longos posui de more capillos  
 18 estque mihi primum tradita pura toga,  
 19 haec me verbosas suasit perdiscere leges,  
 20 amplexu clamosi quaerere lucra fori ;  
 21 atque eadem optatam sperantem attingere metam  
 22 non ultra passa est improba ferre pedem ;  
 23 meque ad Permessum vocat Aoniamque Aganippem,  
 24 aptaque virgineis mollia prata choris ;  
 25 meque jubet docto vitam producere cantu,  
 26 per nemora illa, avidis non adeunda viris.  
 27 Jamque acies, jam facta ducum, jam fortia Martis  
 28 concipit aeterna bella canenda tuba.  
 29 Ecce iterum. - Male sana, inquit, quid inutile tento  
 30 hoc studium ? Vati praemia nulla manent.  
 31 Meque aulae cogit dominam tentare potentem  
 32 Fortunam obsequio servitioque gravi.  
 33 Mox ubi pertaesum est male grati principis, illa  
 34 non tulit hic resides longius ire moras.



35 Laudat et aeratis ut eam spectabilis armis,  
 36 et meream forti conspiciendus equo.  
 37 Et mihi sunt aptae vires, patiensque laborum  
 38 corpus, et has possunt tela decere manus.  
 39 Nec mora ; bellator sonipes, et cuncta parantur  
 40 instrumenta acri commoda militiae ;  
 41 juratusque pio celebri sub principe miles,  
 42 expecto horrisonae martia signa tubae.  
 43 Jam neque castra placent, rursus nec classica nobis ;  
 44 ite procul, Getici tela cruenta dei.  
 45 Humanone trucem foedabo sanguine dextram,  
 46 ut meus assiduo sub bove crescat ager ?  
 47 Et breve mortis iter sternam mihi, ut horridus umbram  
 48 horreat immitem portitor ipse meam ?  
 49 Atque aliquis, placida aspiciens a sede piorum  
 50 me procul Eumenidum verbera saeva pati,  
 51 - En qui Musarum liquit grata otia, dicat,  
 52 anxius ut raperet munere Martis opes ; -  
 53 Manibus et sociis narret me digna subisse  
 54 supplicia, haud ulla diminuenda die ?  
 55 Antra mihi placeant potius, montesque supini  
 56 vividaque irriguis gramina semper aquis ;  
 57 et Satyros inter celebres, Dryadasque puellas  
 58 plectra mihi digitos, fistula labra terat.  
 59 Dum vaga mens aliud poscat, procul este, Catones ;  
 60 este quibus parili vita tenore fluit,  
 61 quos labor angat, iter cupientes limite certo,  
 62 ire sub instabili cuncta novante polo.  
 63 Me mea mobilitas senio deducat inertem,  
 64 dum studia haud desint quae variata juvent,  
 65 me miserum ! Quod in hoc non sum mutabilis uno,  
 66 quando me assidua compede vincit Amor :  
 67 et nunc Hybla licet, nunc sit mea cura Lycoris,  
 68 et te, Phylli modo, te modo, Lyda, velim ;  
 69 aut Glaucam aut Glycerem, aut unam aut saepe ducentas  
 70 depeream ; igne tamen perpete semper amo.

EPITAPHIUM IANI FRANCISCI GONZAGAE

A\_55A v.1 Quae fuerant, vivente anima olim, mortua membra  
 2 absque anima tandem claudit humata lapis.  
 3 Corporis affecti aerumnas novus incola caeli  
 4 spiritus hic gaudet deposuisse graves.  
 5 Quare animam Jani seu corpus flere, viator,  
 6 frustra hoc, sero illud, vanus uterque dolor.

A\_55B v.1 Jani Francisci Gonsagae mortua pridem  
 2 membra, animae quanvis juncta, dies soluit,  
 3 Hicque jacent : anima ad sedes sublata quietas  
 4 gaudet onus tandem deposuisse grave.  
 5 Hospes, quaeso, animam flebis corpusve sepulti ?  
 6 Serum hoc, saevum illud, vanus uterque dolor.

- A\_56 v.1 "Sum" dat "es est", et "edo" dat "es est" : genus unde, magister,  
2 estense ? An quod "sit" dicitur, an quod "edat" ?

IN HIPPOLYTUM ESTENSEM EPISCOPUM FERRARIAE

- A\_57 v.1 Excita festivo populi Ferraria plausu,  
2 protulit ex adytis ora verenda sacris :  
3 utque sua Hippolytum prospexit templa tuentem,  
4 - o claros, inquit, gens mea nacta duces !  
5 Quis patre invicto gerit Hercule fortius arma ?  
6 Mystica quis casto castius Hippolyto ? -

EPITAPHIUM LUDOVICI AREOSTI

- A\_58A v.1 Ludovici Areosti humanantur ossa  
2 sub hoc marmore, seu sub hac humo, seu  
3 sub quicquid voluit benignus haeres,  
4 sive haerede benignior comes, sive  
5 opportunus incidens viator ;  
6 nam scire haud potuit futura : sed nec  
7 tanti erat vacuum sibi cadaver,  
8 ut urnam cuperet parare vivens.  
9 Vivens ista tamen sibi paravit,  
10 quae inscribi voluit suo sepulchro  
11 (olim si quod haberet is sepulchrum),  
12 ne, cum spiritus, exsili peracto  
13 praescripti spatio, misellus artus,  
14 quos aegre ante reliquerit, reposcet,  
15 hac et hac cinerem hunc et hunc revellens,  
16 dum noscat proprium, vagus pererret.

IDEM

- A\_58B v.1 Ludovici Areosti humanantur ossa  
2 hoc sub marmore, seu sub hac humo, seu  
3 sub quicquid voluit benignus haeres :  
4 nam scire haud potuit futura de se,  
5 nec tanti vacuum fuit cadaver  
6 illi urnam ut cuperet parare vivens.  
7 Signari voluit tamen sepulchrum,  
8 ne, cum spiritus ultimo dierum  
9 in membra haec veniet redire jussus,  
10 inter tot tumulos diu vegetur.

EPITAPHIUM HERCULIS STROZZAE

- A\_59 v.1 Qui patriae est olim juvenis moderatus habenas,  
2 queque senum subiit pondera pene puer  
3 (quem molles elegi ostendunt, seu grandia mavis  
4 sive canenda lyra carmina, quantus erat),  
5 Herculis hic Strozzae tegitur cinis : intulit uxor

6           barbara, Taurellae stemmate clara domus.  
7       Quale hoc cumque suo statuit sacrum aere sepulchrum,  
8           juncta ubi vult chari manibus esse viri.

## AD FUSCUM

A\_60    v.1    Antiqua Fusci claraque Aristii,  
          2    puer, propago, forsitan et meum  
          3    ductum unde nomen et meorum,  
          4    nunc Ariostum, at Aristium olim ;  
          5    te vix triennem jam comitem vocat  
          6    suum imperator ; grandia jam tibi  
          7    virtutis elargitur ultro  
          8    praemia, tergeminos honores,  
          9    virtus prius quam (nam tenera impedit  
10       aetas) tuo se jungere pectori  
11       possit : sed Augustus futuram  
12       mox videt adveniente pube.  
13       Hoc spondet illi nota parentium  
14       virtus tuorum, patruum et optima  
15       Thomae institutio, et quod ista  
16       omnibus indole polliceris.  
17       At quantum honoris, tantum oneris datur :  
18       quippe elaborandum est tibi maximam  
19       tui omnium expectationem et  
20       Caesaris indicium tueri.

## DE RAPHAELE URBINATE

A\_61    v.1    Huc oculos - non longa mora est - , huc verte ; meretur  
          2    te, quamvis properes, sistere qui jacet hic :  
          3    cujus picta manu te plurima forsitan imago  
          4    jocunda valuit sistere saepe mora.  
          5    Hoc, Urbine, tuum decus ; hoc tua, Roma, voluptas ;  
          6    hoc, Pictura, tuus marmore splendor inest.  
          7    Marmor habet juvenem exanimum, qui marmora quique  
          8    illita parietibus vivere signa facit.  
          9    Os oculosque movere, pedes proferre, manusque  
10       tendere ; tantum non posse deditque loqui :  
11       quod dum qui fadat meditatur, opusque perenne  
12       reddat, monstra Deae talia morte vetant.  
13       Hospes, abi, monitus mediocria quaerere, quando  
14       stare diu summis invida fata negant.

## AD ALPHONSUM FERRARIAE DUCEM III

A\_62    v.1    Cum desperata fratrem languere salute  
          2    et nulla redimi posse putaret ope,  
          3    Dis vovet Hippolytus, Getico dum currit ab orbe,  
          4    manibus ipse suum, vivat ut ille, caput.  
          5    Vota deos faciles habuere : Alphonsus ab Orco  
          6    eripitur, fratris fratre obeunte vices.  
          7    Morte tua, Pollux, redimis si Castora, munus  
          8    accepturus idem das, nec obis, sed abis ;  
          9    quod dedit hic, nunquam accipiet, nec lusus inani

10 spe reditus avidi limina Ditis adit.

EPITAPHIUM ZERBINATI

A\_63 v.1 Paulum siste, mora est brevis ; rogat te  
 2 Zerbinatus in hoc situs sepulchro,  
 3 si sis forte sciens, ut et scientem  
 4 se reddas quoque, quis furor Leonem  
 5 Tassinum impulerit, quem amabat, et quem  
 6 erat pluribus usque prosecutus  
 7 magnisque officiis domi forisque,  
 8 ut ipsum insidiis agens necarit.  
 9 Quod si scire negas, abi ; et tibi sit  
 10 exemplo, ingenium malum feroxque  
 11 lenire ut benefacta nulla possint.

IN OLIVAM

A\_64 v.1 Hicne rosas inter Veneris bulbosque Priapi  
 2 et Bacchi vites Palladis arbor ero ?  
 3 Immeritoque obscaena et adultera et ebria dicar,  
 4 sobria quae semper casta pudensque fui ?  
 5 Hinc me auferte, aut me ferro succidite, quaeso,  
 6 me mihi dent turpem probra aliena notam.

DE PAUPERTATE

A\_65 v.1 Sis lautus licet et beatus, hospes,  
 2 et quicquid cupis affluens referto  
 3 cornu Copia subministret ultro,  
 4 ne suspende humilem casam brevemque  
 5 mensam naribus hanc tamen recurvis,  
 6 si nec, Bauci, tuam, tuam, Molorche,  
 7 tuamque, Icare, pauperem tabernam,  
 8 et viles modica cibos patella  
 9 sprevit Juppiter, Hercules, Liaeus.

DE POPULO ET VITE

A\_66 v.1 Arida sum, vireoque aliena populus umbra,  
 2 sumque racemiferis undique operta comis ;  
 3 gratae vitis opus, quae cum moritura jaceret,  
 4 munere surrexit laeta feraxque meo.  
 5 Nunc nostri memor offidi, docet unde referri  
 6 magna etiam possit gratia post obitum.

A\_67 v.1 Quae frondere vides serie plantaria longa  
 2 et fungi densae sepi opaca vicem,  
 3 lucus erant, horti latus impedientia dextrum  
 4 e regione domus, e regione viae,  
 5 parta viderentur septena ut jugera frustra  
 6 prospectus longi cum brevis esset agri.

7 Non mites edi fetus, coalescere ramos,  
8 crescere non urens umbra sinebat olus.  
9 Emptor ad hos usus Ariostus vertit, et optat  
10 non minus hospitibus quam placitura sibi.